

## Cap.69.

## A V C V S T I N V S

eos Optatus Episcopus Mileuitanus libros 4. Donatus autem habitus est doctus sua ætate, cuius etiam libros vidit Hieronymus. Alius autem fuit Donatus Eurææ Epiricæ Episcopus orthodoxus, de quo Nicephorus libro duodecimo, capite 45. qui nihil ad hanc sectam & tempus pertinet.

2 Atque in Africa & Donati parte.) Copulâ, & addidimus, quæ deest in impressis, & ex cuius prætermissione fit tota hæc oratio hiulca, malè sonans & obscura. Sed etiam in quibusdam recentioribus qui hunc Augustini locum citant, ita transcriptum inueni. Sequuntur iam huius sectæ variæ hypotheses, & ex quidem blasphemæ & tetræ, è quibus r. est: Ecclesiam Dei eam demum esse in his terris agnoscendam & sequendam, quæ omni ruga, macula & peccato quantumvis leui careat, & pura sit, quia sanctus esse debet ille cœtus, qui Ecclesia vocatur. Sanctus autem nō est, cui adhuc peccatum inhæret, Ephes. r. vers. 4: 5. vers. 26. Icaque perfectionem iustitiae & angelicam sanctitatē hīc ab hominibus requirunt, quam etiam se sūosque illos impuros cœtus habere iactant & profitentur, tam sunt arrogantes, cœci & à vero suæ infirmitatis & rebellionis sensu alieni. Vnde se ab eorum cœtu separant, quos peccatores & non satis pueros iudicant, ut seorsim cœtus colligant & schisma faciant. Hoc dogma nostro seculo Anabaptistæ renouarunt: sicutque Pelagianismi, qui secutus est, magnū certè fundamentum. At si quis se sine peccato esse glorietur, mendax est: nec coram Deo quisquam mortalium hīc degentium iustus, excepto modò uno Christo, reperietur, r. Ioan. l. vers. 8. Iacob. 3. vers. 2. Psal. 143. vers. 2. Et si operibus nostris iustificamur,